Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

suorum dominus consolans. lanceam sacram qua Christi filii sui latus in passione perforatum usque
ad id temporis incognitam superna revelatione fidelibus suis demonstravit. cuius
fiducia christiani quamvis fame attenuati. egressi sarracenos non sua sed Christi virtute
fuderunt. Inde in syriam profecti barram et marram urbes ceperunt. ubi commorantes.
tanta rursus fame atteruntur ut humana cadavera fetentia comederent. Post haec
hierusalem a sarracenis inhabitatam aciem dirigunt. quam dum obsidione capere non
possent. habito consilio humilitatis magistrum imitantes. nudis eam pedibus
circueunt. Igitur octava. id est ea qua divisio apostolorum agitur die civitas capitur. hos-
tesque tanta strage ceduntur. ut in porticu salemonis sanguis interfectorum nostris
ad genua usque attingeret equorum. Et nota per humiles preces octava die civi-
tatem agentibus conculcatam annis obtentam. Sic enim hiericho sub observati-
one sabbati a priore populo. VII. sic et hic a christiano populo. octava tamquam abolita lege
ac sabbato. resurrectionis die sequente. hierusalem gyrata expugnatur.
Et exhinc hierusalem et sepulchrum domini annis possidet. .V.

Porro memphitorum seu alexandrinorum rex. qui babiloniorum ammiraldus vo-
catur apud aschalonem manens. cum francorum legatis. antiochiam eo quo et hi hie-
rusalem captis dolo iter flectit. Christiani vero relictis in urbe sarcinis et infir-
mis. contra sarracenos procinctum movent. Et fusis ad dominum precibus. pauci. id est v. mi-
lia equitum et xv. milia peditum divina virtute centum milia equitum et ccc milia
peditum fuge compellunt ac spolia multa diripiunt. percussis ex sarra-
cenis centum milibus. et suffocatis circa portam urbis duobus milibus. innumeri etiam
in mari seu spinis obruti feruntur. Facta victoria reversis ad propria plurimis.
Gotfridus ducatum eorum qui remanserant strenuissime rexit. Hic etiam inter fran-
cos romanos et teutonicos. qui quibusdam amaris et invidiosis vocis frequen-
ter rixari solent. tamquam in confinio utriusque gentis nutritus. utriusque lingue scius.
se ducem interposuit ac ad commanendum multis minis informavit.

Verum Urbanus a concilio claremontensi regressus. VI.
auxilio eorum qui ad hierusalem ituri erant ut accendat Gwibertum ab urbe excepto
castro crescentii eiecit. sedem propriam recepit. Inde in apuliam. calabriam. siciliam quas
tunc normanni inhabitabant ingressus. pecuniam multam collegit. romam-
que rediens. corruptis his qui castrum crescentii servabant muneribus. Guiberto
tam castro quam urbe pulso. libere tota potitur urbe. Ipse quoque vita dece-
dens. paschali sedem RELIQUIT. VII.